



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

239 Beneficia Ecclesiastica verè proprieq[ue] esse spiritualia, & non
tantùm spiritualibus annexa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Resignavit disputata de validitate vel inualiditate permutationis factæ præteritis illis quorum consensus requiritur & qui nulla ratione volunt vnquam consentire; permutationem videlicet nihilominus ipso quidem iure valere, sed esse rescindendam.

239
Beneficia Ec-
clesiastica ve-
rè proprièq;
esse spiritua-
lia. Et non
tantum spiri-
tualibus an-
nexa.

Ait Pont. *Præsertim circa spiritualia*. Singulariter est hinc obseruandum, beneficia ecclesiastica nominari & esse spiritualia; non solum quòd eorum titulus quid spirituale sit, d. c. dilecto. de præbendis, qui datur propter officium diuinis in rebus, c. ult. de rescriptis in 6. verumetiam quòd in bonis temporalibus quidem sed ipsi Deo vel Ecclesiæ Christi donatis & collatis atque dicatis consistat. Attamen quia fructus ipsi beneficiorum sunt merè temporales & in commercium cadunt, plerique beneficia referunt inter annexa dumtaxat spiritualibus. fortè non omninò solidissimè, nam non tam fructus ipsi vel prædia ex quibus fructus percipiuntur spectari debent in beneficiis ecclesiasticis rectè diiudicandis, quàm ius ipsum seu facultas fructuum & emolumentorum talium percipiendorum; iuxta definitionem paulò superius à nobis traditam: quod quidem ius, merè spirituale quid esse nemo negauerit. Rectius itaque cum summo Pont. vel cum generali verius Concilio Viennensi beneficia quæuis ecclesiastica spiritualibus ipsis rebus adnumerabimus.

Ait Pont. *Ne illudatur*. Cùm in omnibus omnino contractibus & hominũ conuentio-
nibus

nibus agendum est sincerè, candidè, bonaque fide, tum spiritualibus in rebus vel maximè; quandoquidem non religio seu conscientia tantùm priuata vertitur verumetiam diuinus agitur cultus, vbi frustratio, dolus, impostura, deceptio, duplicitas omnis non potest nõ esse sceleratissima; cùm facinora tantò sunt maiorã quantò vel is in quem perpetrantur est aut maior aut in delinquentes beneficentior ac liberalior, vel res quæ violantur sunt sanctiores atque diuiniore aut spirituales magis. Exempla Glossographus aliquot adfert aliundè, videlicet ex Clement. vlt. s. de renunc. & ex c. vlt. de postul. & ex c. ne quid. 22. q. 2. & ex c. excommunicatorum. 24. quæst. 5. Quibus hic immorari nunc operæ precium non est: ad grauiora quæstionum hûc pertinentium genera properemus.

Ait Pont. *Si qua beneficia*: Dicebamus ad Bonifacianam verbo *Beneficia* quàm ægrè beneficiorum inter sese fuerit admissa tandè permutatio, nedum beneficij cum hospitali vel alio quopiam iure spirituali tanquam in commercium per sese non cadente. Quid igitur est sentiendum de permutatione iuris alicuius omnino spiritualis cum re prophana? Certè multò minus erit admittenda; quandoquidem iuris est clarissimi, spiritualia cum temporalibus permutari non posse c. vlt. de rer. permutat. propter simoniæ labem talibus in permutationibus apertissimè sese prodentem: Quo fit vt nec hospitale seu domus religiosa cum

i iiij domo

240
Sincerè cum-
ctus in rebus
agendum, præ-
cipuè tamè in
spiritualibus.

241
Pro persona-
rum & rerum
qualitate por-
derari delicta

242
Spiritualium
cum profanis
nulla permu-
tatio.